7

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ASTHMATE SPASMODICO,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

NICOLAI GEORGII OOSTERDYK,

JOANN. FIL.

MED. DOCT. MEDICINAE THEORETICAE ET PRACTICAE PROFESSORIS ORDINARII,

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*,
& *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit

JOANNES PLUMB,

ANGLUS.

Societ. Phys. Edin. Praeses Annuus
nec non
Soc. Reg. Med. Ed. Socius Extraord.

Ad diem XIV. *Augusti* MDCCLXXXVI. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD FRATRES MURRAY,

MDCCLXXXVI.

VIRO

REVERENDO

JOSEPHO HARRISON

FRODSHAMIAE,


ERUDITISSIMO,

BENEVOLENTISSIMO,

D. D. D.

AUCTOR DEVINCTISSIMUS.

Dr. Scott
from his sincere f
The Author



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ASTHMATE SPASMODICO.



Pulmonum inter actionem & vitam talis eſt ratio, ut illa ceſſante, protinus vita, omniumque functionum expirat exercitium; nil igitur gravius eſt quam ſanos conſervare Pulmones.

Tot attamen tantaque difficilia in morbis pulmonum in genere ſanandis per omne comparuerunt aevum, ut quod libet cò forſan hodie conamen ancipiti pendebit eventu.

Aſthma ſpasmodicum, de quo nunc diſſeritur, inter morbos graviſſimos plerumque fuit enumeratum, & hucusque medela, quod graviter dolendum, ſatis quidem certa, Medici disquiſitionem eluſit. — Has inter tenebras, ut hujus almae Academiae legibus obſequamur, ad morbi narrationem reddendam, quantum poteſt accuratam praetentamus; & hujus definitionem ab illuſtr. Culleni Noſologia verbis ſequentibus deſumptam eligimus. „ Spirandi difficultas per intervalla ſubiens cum anguſtiae in pectore ſenſu, & reſpiratione cum ſibilo ſtrepente; tuſſis ſub initio paroxysmi difficilis vel nulla, verſus finem libera, cum ſputo muci ſaepe copioſo".

HISTORIA MORBI.

Aſthmatis acceſſus derepente & improviſo cum

cum languore, laſſitudine, & torpore ſuperveniunt, aegro omni fere motu & ſolitis laboribus ſtatim abhorrente. Tenſio & anguſtiae ſenſus circum praecordia percipiuntur, & gravior fit reſpiratio. Aſthmaticus ſi curſum vel iter acclive praeſertim faciat, difficillime ſpiritum ducit. Frigidum purumque aëra vehementer expetit. Si modo paulisper decubuerit, illico ſeſe properanter erigere cogitur. Exempla attamen legimus ubi ſpirandi difficultas ex corporis recumbenti poſitura & ſupina fuit levata, ſed talia raro invenienda. Os aperit, & aëra patulis naribus avidiſſimè haurit; ſtertore & ſibilo ſtrepente comitatur ſpiratio. Vox non niſi raucedine & dolore formatur. Sternutatio & tuſſis aegerrime perficiuntu. Tales paroxysmi interdiu aliquando, ſed frequentius vespere noctuque ſubeunt, pulmonibus quaſi obrigentibus

& pertinaciter oppreſſis. Oscitationes crebrae & pandiculationes à pervigilio vehementer diſcruciant, una cum gravedine & dolore capitis. Urina, paroxysmo inchoante, larga egeritur quantitate, tum colore tum odore carens, eodem attamen finiente, hocce profluvium imminuitur, & rubrum deponitur ſedimentum. In morbi initio liquor colore fere atque ſapore aquam referens, & flatus praeter modum à ventriculo eructantur, ſed ariditas faucium moleſta & ſitis vehemens ante acceſſionem peractam, acerbiſſimae, immo fere intolerandae, evadunt. Materiae bilioſae vomitus nonnunquam accidit. Fonticuli, cuivis parti corporis inſerti, dolent & rubeſcunt. Dirigent ſaepe membra, tanquam magnis fracta laboribus. Organa respirationi inſervientia ſuo munere vix fungi queunt, & adeo riget diaphragma,

ma, ut hujus actio ex toto fere cesset. Tussis importuna aliquando, incipiente morbo, obvenit, parca vel nulla expectoratione stipante. Somnus brevis somniis horrificis interpellatus, levem inducit remissionem; sed primam vel secundam versus horam matutinam omnia haec symptomata iterum intenduntur. Calor lecti aegroto est anxietati & inquietudini; nunc stragula in pectus vix sustineri possunt. Musculi thoracem obtegentes praeter voluntatis jussum cum insolito & motu tremulo in actionem cientur. Cervix, humeri & thorax, inspiratione perstante, miris modis eriguntur. Arteriarum pulsus, & vi & numero, permultum variant; nunc celeres, intermittentes, parvi & debiles, nunc pleni & naturales. Genae pallescunt, & plerumque deprimuntur; sed si malum ruat in pejus

rubent & tumefcunt. Oculi truces evadunt & prominent, quafi in his qui ftrangulantur. Capitis dolor ingravefcit. Abdomen tumet, & borborygmi ab aëre intestinis interclufo crebri excitantur. Cordis palpitationes intenduntur. Musculi totius fere corporis contrahuntur. Membra extrema frigescunt, & paulo ante aegrotus vivere defierit fudores gelidi, delirium, fopor, animi deliquium fuperveniunt.

Paroxysmus, quamtumvis adftantibus gravis appareat, non femper formidandus. Homines afthmate conflictati nonnunquam ftrangulantur, talia attamen exempla raro occurrunt.

Morbo in melius vertente, doloris & angustiae in pectore fenfus minuitur. Tuffis longior & rarior fit, plura atque excernuntur faniofa fputa & humidiora. Pulmones

pe-

pedetentim in integrum reſtituuntur. Flatus expellitur. Venter detumet. Urina egeritur copioſior, licet nondum quicquam in eâ ſubſidat. Calor lenis & ſudor modicus prorumpunt, nunc atque demum ſomnus vehementer exoptatus aegro conciliatur. Symptomatibus nihiloſecius ſeſe adeo benigne oſtendentibus, morbus non totus reſolvitur. Motus corporis leniſſimus, aliquotiens pectoris auguſtiam & respirationem difficilem inducere ſolet. Sopor inuſitatus iterum cum ventriculi inflatione ad vesperem opprimit; & ſymptomata nuper abacta, permultum ſaltem levata, de integro horam verſus qua antea matutinam recrescunt. Sic atque alter paroxysmus per noctes complures alterum excipit, violentia cujus pari imminuitur ratione qua multiplicatur numerus. Hic forte obſervare fas ſit, quo magis nempe invaluit

luit ac inveteraverit malum, eo acerbiora ac vehementiora haec omnia fore ſymptomata.

Si quando mucus copioſior exſpuitur, paroxysmus fit lenior citius ſeriusve accendendus. Hic attamen diutius perraro quinque diebus protenditur, & interdum haud tranſit bihorium. Duratio nempe eſt incerta.

Floyer hunc morbum tractans notat remiſſionem & longiorem ac pleniorem futurum, quo paroxysmus vehementior & diutior perſtiterit.

Aſthma ſtrictè dictum, raro propriâ ſuâ vi lethale evadit, ſed aliis frequenter morbis arte nullâ debellandis viam ſternit. Haud raro accedunt ſcilicet pedum, dein manuum, faciei ac dorſi tumores, brachiorum torpor; ſuperveniunt inſuper phthiſis pulmonalis, hydrops pectoris vel etiam aſcites ac anaſarca, hem-

hemiplegia. Nonnulli, ut notabile eſt, aſthmaticos aliquando amauroſi fuiſſe correptos obſervarunt.

Jam ſatis fortaſſe de hiſtoria morbi fuit dictum, nunc animus paulisper ad discrimen aſthma ſpasmodicum inter & alios morbos ei affines ſtabiliendum advertendus.

DIAGNOSIS.

Symptomatibus enarratis in hiſtoriâ praeeunti liquidò deſignatis, negotio cum leviſſimo hocce malum poteſt a caeteris ſecerni.

Aſthma inter & Dyspnaeam fortasſis dignoſcere haud erit difficillimum, quippe quidem illud ſub paroxysmorum formâ cum reſpiratione ſibilante ingruere ſolet, dum haec è contra a cauſis conſtanter admotis ſpirandi diffi-

caltate ſtipatur perpetuâ, absque ſibilo tamen ſtrepente.

Symptomata pauca inter Hydrothoracem & Aſthma ponere ſufficient discrimen. In illa pedes intumeſcunt. Vox raro mutatur, tusſis minime ſaepe impeditur, & reſpiratio quanquam difficilis comites plerumque neque ſibilum nec ſtertorem habet. In illo hisce omnino eveniunt contraria. Cynanche trachealis ſedem in Larynge vel Tracheâ figere ſolet, & fere infantibus ſemper eſt propria. Aſthma vero bronchia ut plurimum afficit, & puberem vel incurvam adoritur aetatem.

Angina Pectoris uti in Actis Londinenſibus Medicis a Doctore Heberden depingitur, ſigna minus certa præbere diagnoſtica videtur. Æger tamen hocce morbo gravatus, motum agens ambulatorium inſtanti minitatur

tur fato, ſed greſſu morato omni extemplò vacat dolore.

CAUSAE MORBI.

Cauſae remotae in praedisponentes ac occaſionales ſatis apte fortaſſis dividi poſſunt.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Corpus humanum in omni vitae decurſu, noxiis poteſtatibus ſat ei vehementibus admotis, mutationes quasdam par eſt ſubire morbidas. Sed dum pars major hominum cauſis hunc morbum moventibus impune objicitur, & quoniam aſthmaticus ipſe quibusdam in caſibus, harum viribus peſtiferis cauſarum obſiſtere valet, inde, quendam ſtatum corporis ſpecialem plus in aliâ quam aliâ

conditione earum favere actioni, conficiatur. Talis igitur ſtatus & ejus natura proximè indaganda.

Si ſymptomata jamjam enarrata recenſeamus, huncce morbum ex quodam abnormi & motu violento organorum reſpirationi inſervientium conſtare dilucidè fortaſſis patebit.

Malum hocce corpora plerumque adoriri plena complures notarunt medici. Doctor Cullenus attamen illuſtris affirmat, ſe nunquam obtinere ſaepius in alio quam alio temperamento obſervâſſe, & aegros aſthmaticos priſtinam ſuam plenitudinem in breve ſolum tempus retinere uno conceſſum eſt ore. Jure igitur colligendum, plethoram rariſſime aut numquam pro cauſa praedisponenti fore aeſtimandam.

Si omnia attente ad hanc rem pertinentia

tia perpendamus, conditionem fibrarum muscularium laxam mobilitati auctae, aeque in hoc ac plurimis aliis morbis ſpasmodicis ortum dare credamus fortaſſe licebit. Ubi plethora hujus relaxationis comes eſt, potius pro effectu quam cauſâ habenda eſt primariâ.

Thoracis auguſtia, ut aſſerunt quidam, huic morbo opportunitatem paebuit; eſto, ſed pectus ſic male formatum, me judice, frequentius pro relaxationis univerſae ſyſtematis effectuu quam pro cauſa per ſe agenti ducendum. Venarum turgescentia, nimia humorum abundantia, cutis alba, laevis, delicata, capillorum mollities & laevor, vigiliae praeter modum protractae & venus immodice culta, morbi hujus favent acceſſioni.

DE OCCASIONALIBUS.

Pulmonum quando ſtructuram & varia ex-

terna in se contemplemur agentia, nil mirum si causae quidem numerosissimae quae asthmatis paroxysmum ciere queant. Talium perstringere nunc in animo est praecipuas.

Calor externus quoquomodo corpori admotus huic morbo occasionem saepe dedit. Dies aestivi sed eo magis praesertim caniculares, Floyer testante, frequentius quam tempus brumale, paroxysmos invitant. Vicissitudines aëris subitaneas, quod ad ejus levitatem vel gravitatem, vel calorem vel frigiditatem, eo in corpus valere humanum, ut asthma facile inducere queant, fuit observatum. Haec attamen opinio minus hodie quam olim praepollet.

Frigus corpori applicatum, perspirationem obstruendo, noxie pulmones afficit, & malorum in iis segetem, sed morbum prae-

ci-

cipue de quo nunc agimus, maturat. Actionem etiam in genus nervosum praestando, ut Hoffmannus monet, eosdem edit effectus. Dum aëris varietates dispicimus, diversa ejus actio in locis excelsis & humilibus consideranda. Plus fuit semel compertum, homines totam fere vitam in montis cacumine secutos, asthmatici symptomatis nequidem levissimi immunes abiisse, sed in vallem descendentes cito morbum esse gravem experos, & vice versa.

Idem haud raro obtinet quum urbis incola sese in rus recipit; idem quoque de ruricolâ qui urbem petiit, observandum. Haecce aeque ac complura alia exempla vis consuetudinis sunt argumento; & fortasse aëris locique mutationem magis ad nervosum conferre quam sanguiferum systema afficiendum commonstrant.

Flo-

Floyer ſiccitatem aëris minus aſthmate conflictato officere quam ejusdem humiditas affirmat; quia hic plus illo ſtatus viriſimiliter noxiis abundat particulis. Vapores multigeni quales ſunt arſenici, mercurii, plumbi & ſulphuris fumi, aër atque miphiticus, pulvis & odorum non ſolum foetentium, ſed bene quoque olentium halitus, corpore opportuno, cauſis fuere morbo. Nicotianae fumi tantum non incitamento ſunt malo, ſed eidem ſuppetias ferunt. Studium acre, animi pathemata an ſtimulantia an deprimentia, exercitium corporis vehemens & vigiliae caute aufugienda.

Quod ad diaetam attinet leviter ſolummodo perſtringendum. Ingluvies qualiscunque maxima ex parte nocet; quià, ventriculo quaſi mechanicè diſtenſo, prematur diaphragma, actio & ejus interpellatur, unde pulmo-

monibus praecidatur auxilium. Rebus ita ſeſe habentibus exoriantur Dyspnaea, Aſthma, &c. Vinum immodice ingurgitatum, vel alii liquores ſpirituoſi aliquando eosdem praeſtant effectus. Cereviſia fortis vel tenuis non ſatis fermentata & lupulis ſaturata in ventriculum ingeſta, ob aërem fixum copioſius evolutum, occaſionem praebuere morbo.

Morbilli & variolae, puſtulis repreſſis & pulmonibus repulſis, gravem excitarunt reſpirationem, ſed tale fortaſſe paroxysmum aſthmatis ſincerum moturum, absque pulmonum ſtructura praeſertim opportuna, foret difficile.

Polypi, pinguis circa pulmones cumulus, hydrothorax, ſcorbutus, febres intermittentes, catarrhus, hyſteria, hypochondriaſis, ulcera chronica intempeſtivè conglutinata, fonticuli ſubitò exſiccati, haemor-

rhagiae vel menſes repreſſi ; dyspepſia , & arthritis atonica inter cauſas enumerantur occaſionales.

Ligamina arcte compreſſa , & emplaſtra thoraci admota, huic anſam praebuere morbo.

E perſpirationis obſtructione, ubi ſanguis in vaſa non defertur extrema, ſed pulmonibus congeritur, aſthma aliquoties pendere notatur.

CAUSA PROXIMA.

Cauſa quoniam aſthmatis ſpasmodici proxima adhuc medicum latuit; aeque, ut decet, in praeſenti ac in omnibus litibus nondum expeditis gravibus , ſententiam ſummâ cum cautelâ & diffidentiâ tradamus.

Veterum opiniones de hoc morbo obiter recenſendae. Hi aſthmaticorum reſpiratio-

nem

nem esse a pituitae tenacis quantitate pulmonibus cumulatae impeditam rati, exinde omnia morbi symptomata investigare laborarunt. Haecce attamen materies tenax, sequela esse potiusquam asthmatis causa videtur; quippe quae semper finem versus paroxysmi colligitur. Hancce igitur omnino respuere fortasse haud foret nefas theoriam.

Morbi causa veri, ut credimus, simillima, abnormis est & aliquâ ex parte fibrarum muscularium constrictio bronchiorum spasmodica, horum intercludens dilatationem ad plenam & liberam inspirationem idoneam, & rigiditatem inducens quae facilem & expeditam expirationem praepedit. (*)

Et ad hancce opinionem suffulciendam, asthmate conflictatos plerumque dolorem sub ster-

(a) *Vide* CULLENI *primas Lineas, Paragraph.* 1384.

ſterno praecipuè ſentire, ſolummodo obſervare neceſſe ſit; quod documento eſſe bronchia ſedem ibi tenentia ſaepius imprimis laborare videtur.

Monro, Anatomes Profeſſor Edinenſis celeberrimus, aliique haud parvi nominis, ad hanc refellendam ſententiam experimenta quaedam inſtituerunt; unde laryngem morbi eſſe ſedem cogere volunt.

RATIO SYMPTOMATUM.

Si opus omnium cauſas ſymptomatum explanandi eſſet ſusceptum, longe plurimùm limites diſſertationis praeſcriptos excurreremus. Pauculas modò easque principes breviter perſtringemus.

Difficultas ſpirandi. Bronchiis ſpaſmo laborantibus, & dilatatione liberâ pulmonibus

bus interclusâ, ſpiratio reddi promptè poteſt laborioſa.

Palpitatio Cordis. Vaſorum pulmonalium contentis ſuo impeditis tranſitu, ſanguis circa cor neceſſe eſt congeratur, unde proficiſcitur palpitatio.

Dolor Capitis. Sanguine a capite refluente morato, ſequitur cephalalgia.

Flatus & Diſtenſio Ventriculi. Cruditates à ventriculi debilitate, nimium aëris generare ſolent, unde haecce profluunt ſymptomata.

Difficultas loquendi. Bronchiis tantum contractis, aër pulmonibus liber exire nequit; nil mirum ut vox ex toto fere deletur.

PROGNOSIS.

Floyer quando de aſthmate tractans dicit ſe morbo eſſe per annos fere triginta ten-

tatum, & memoriae casus aegrorum plusquam duodecimum lustrum eodem laborantium prodit, periculi paulum instantis imminere praenuntiemus licet. Periculum attamen quando supervenerint palpitationes cordis violentae, vocis integra privatio, respiratio anhela, pulsus celer, debilis, abnormis, fluxus sanguinis ad faciem nimius, aliaque symptomata gravia, qualia sunt animi deliquium, &c. impendet. Si morbus à labe derivetur hereditariâ, haud multum revera sperandum, & quodque fortasse medici conamen irritum evadet. Constitutio attamen vegeta quam annosa & debilitata impuniùs morbo occurrit. Nunc ad

METHODUM MEDENDI

progredimur, ad quam rite instituendam minime vero nobismet volumus. Tale enim

con-

conamen foret inverecundum, quippe quod noſtri certo majores ſemper moliendo defecerunt: ſatis ſit igitur, quantum poteſt, medicamenta quae aegro fuere levamini enumerare. Ad hocce praeſtandum duo conſilia neceſſaria videntur.

Primo, paroxysmum ſolvere.

Secundo, recurſui obvenire.

De evacuantibus imprimis & antiſpasmodicis diſſerendum.

Venaeſectio per quam vaſa pleniſſime vacuari poſſunt hic loci conſideranda. De hujus remedii fructu multum inter medicos diſputatum. Modò non ſanguis ſummâ mittatur cautelâ, experientia lethalis brevi explicabit errorem; nimis enim exhauriendo & vires debilitando, gravium malorum & inſanabilium ſeges cito matureſcit. Hocce attamen remedium non ex toto rejiciendum;

quo-

quoniam multis in exemplis, excessum citra habitum, quando per pulmonum vasa adeo aegrè fluit sanguis ut laboranti suffocatio fere minitatur, utilissimum evadit.

Emetica mitiora, uti Ipecacoanha, Tartarum Emeticum &c. haud medici attentione indigna. Ventriculo enim contenta in hocce morbo malè concoquente, nascuntur cruditates quas necesse est operâ expellamus medicinali; ad quod absolvendum, benè inter emetica recurritur. Talia attamen remedia iteratò adhibere malum; ventriculum enim enervant, corpus totum debilitant, & morbi saepè recursui ortum dare solent (*b*).

Expectorantia, qualia sunt Scillae, Colchicum, Gummi Ammoniacum, Alk. vol. &c. remedia inter proficua enumeranda.

An-

(*b*) Vide FLOYER *on Asthma.*

Antiſpasmodica multigena, gummata praeſertim feetida, nonnulli acritèr aegro collaudant. Talia attamen ob vim ſtimulantem in genere Cullenus damnat. Moſchus proculdubio huic ac multis aliis morbis ſpasmodicis, ſi modò comparari potuit ſincerus, multùm prodeſſet. Uſus talem ob ambiguitatem in ancipiti tamen verſatur. Opium & camphora, aether atque ad gutt. 100 quantitatem ſumptus, saepius cum fructu haud levi adhibentur. Balneum tepidum ob vim relaxantem, an topicè an universè admotum, anodyna, etiam oleoſa, aliaque fomenta pectori adpoſita, medici multum celebrarunt.

Dr. PERCIVAL, Mancunienſis, aliique, multis in morbis ſpasmodicis, viz. in Epilepſiâ praeſertim & Choreâ, Zinci Flores laudibus extulerunt profuſis; ſed effectus eorum

rum in aſthmate nondum firmantur ſpasmodico.

HOFFMAN & WHYTT Cantharidum ſtrenue ſuaſerunt uſum; hae attamen CULLENI votis nunquam reſpondiſſe videntur.

Haud alienum fortaſſe hic loci obſervare foret, aegrum annos plus minus triginta aſthmate laborantem, à ſcabiei eruptione fere univerſâ, prorſus omni ſymptomate aſthmatico eſſe citò liberatum.

Laxantia, Enemata, Veſicantia, Setacea & Fonticuli, quippe quae nimium totius corporis, praeſertim & pulmonum mobilitatem magnopere demunt, & ſanguinis quantitatem iſta per organa fluentis imminuunt, ad conſilium ſecundum ſunt apta ſupplendum.

Lavatio frigida, Jupiter gelidus & ſerenus, cortex peruvianus, & Amara multa, diatheſi phlogiſticâ abſente, nonnunquam plurimùm proſunt.

Quod

Quod ad aegroti regimen & diaetam ſpectet, proximé perpendendum.

Juſcula tenuia, panis bene fermentatus, lac, ejusdem ſerum, fructus mites, aliaque facilè concoquenda, victum conſtituere debent.

Carnes omnigenae niſi eupepticae, & vegetabilia ob aërem contentum, ex toto reſpuenda. Aqua frigida, vel pani toſto infuſa & vino pauxillo vel liquore acido quovis commiſta, pro potu anteferenda communi.

Thea & Coffaea à Doctore CULLENO ex uſu nocua, ut & cubiculi, ſolis quoque radiorum calor, habentur.

Tranquillitas, animique ſerenitas per multum juvant, dum ejusdem pathemata varia aeque ac vigiliae nocent.

FINIS.